



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Enchiridion Sev Manuale Episcoporum Pro Decretis in
Visitatione, & Synodo, de quacumque re condendis.**

Gavanti, Bartolommeo

Venetiis, 1650

Bibliotheca Canonorum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-9534

- 7 Fundator Ecclesiæ, seu beneficii, seu hæres, vel successor fundatoris, seu executor testamentarius ab eo deputatus cū consensu Episcopi mutare potest statum Ecclesiæ. Viuian. de iurepatron. part. 3. lib. 14. cap. 4. num. 14.
- 8 Formam mutationis. vide apud Monct. vbi supra cap. 11. à num. 451. ad 439.

ADDITIO.

Verius non potest Episcopus mutare Parochialem in collegiatam. DD. cum Barbosa. de iure Eccl. 32. 2. 27. cap. 6. nu. 1. et de casum refert 2. tuncy 1626. Loter. de re benef. lib. 1. q. 14. num. 49.

Bibliotheca Canonorum.

- 1 Constituat cum Indice librorum. Prou. 4.
- 2 Præfectus eligatur ab Episcopo de Concilio Capituli. *ibid.*
- 3 Duret eius officium arbitrio Episcopi. *ibid.* si alia sit eligendi consuetudo, feruetur. *ibid.*
- 4 Ineat ratio eam augendi. *ibid.*

Blasphemia.

- 1 Clericus Deum, vel B. V. expressè blasphemans, prima vice priuetur fructibus beneficiorum vnius anni. Pius V. Anno 1566.
- 2 Pro altera vice beneficijs priuetur. *ibid.*
- 3 Pro tertia vice omnibus dignitatibus, & in exilium mittatur. *ibid.*
- 4 Si caret beneficio, luat pœnam pecuniariam, vel corporalem pro prima vice; carceri detur pro altera; pro tertia verbaliter degradetur, & ad triremes mittatur. *ibid.*
- 5 Pro blasphemia in Sanctos, arbitrio iudicjs, habita ratione qualitatis blasphemie, & personæ. *ibidem.*

Bona Ecclesiastica.

- 1 E A quouis modo vsurpantes, seu impediens, anathemati subiacent, donec fiat restitutio, & absolutio Papæ referatur. Trid. sess. 21. cap. 1.
- 2 Patronus autem priuetur etiam Iure-

patronatus, & Clericus, etiam beneficijs, & ab ordinum executione sit suspensus, etiam post absolutionem prædictam, arbitrio Ordinarij. *ibid.*

3 Et hæc Decreta quotannis euulgentur. Prou. 5.

4 Bona Confraternitatum, & Hospitalium erectorum sine auctoritate Episcopi sunt laicalia; si verò illius auctoritate, sunt ecclesiastica. Barbosa. de potest. Episc. alleg. 75. num. 32.

5 Locationes anticipatis solutionibus factæ in præiudicium successorum sunt inuvalidæ. Trident. sessione 25. cap. 11.

6 Neque licet locare Iurisdictiones ecclesiasticas, seu facultates nominandi, aut deputandi Vicarios in spiritualibus; neque licet conductoribus per se, aut alios exercere. *ibid.*

7 Locationes ad longum tempus, seu, ad 29. annos, aut bis 29. annos, irritæ sunt, & nullæ. *ibid.*

8 Nemini liceat locare bona Ecclesiæ propinquis, intra tertium gradum in emphyteusim, aut ad tempus, etiam per suppositas personas sine magna utilitate Ecclesiæ, iudicio Episcopi, sub pœna nullitatis, & alijs arbitrio Episcopi Pro. 1.

9 Neque item Patronis, neque ijs, quorum cessione ea beneficia obtenta sunt, nisi vt supra, alijs mulsetur beneficiarius fructibus vnius anni quos inde capit. Prou. 2.

10 Solutio, quæ fit quotannis titulo emphyteusis, vel ad longum tempus locationis, fiat per scripturam Notarij, addita causâ, & quantitate pecuniæ. *ibid.*

11 Et instrumenta eiusmodi spatio mensis tradantur Episcopo in Archiuio seruanda. *ibid.*

12 Inuestitura feudorum renouentur à successoribus cum iuramento fidelitatis. Prou. 1.

13 In his renouationibus, omnia bona, & eorum fines nominatim in instrumento describantur. *ibid.*

14 Emphyteuta, vel colonus iurans soluere Canonem singulis annis, non soluto Canone, poterit ante biennium expelli. Nald. Emphyteusis. num. 2.

15 Potest vice caducitatis duplicari Canon seu fictus consuetus. Mar. Antonin. l. 1. resol. 30. in fine.